


✠ M A T T H A E I
Frigillani Bellouaci
in Alcinoum de doctrina
Platonis Scholia.

Ad D. Eustathium Bellaium, Christianissimi
gregis Parisiensis Pastorem vigilantissimum.



Carli ap. si. p. b. G. m.



P A R I S I I S,
Ex typographia Thomæ Richardi, sub Bibliis
aureis, è regione collegij Remensis.

I 5 6 1.

CVM PRIVILEGIO.


FORMA T. H. A. F. I.

FRIGILLARI BOLLONACI

in Alchimia de doctrina

Platonis schola

Ad hoc in alchimia bollonacis, quod per se
gras munda mellea rignat bollonacis



PARIS 1818

FRIGILLARI BOLLONACI

in Alchimia de doctrina


CUM PRIVILEGIO

Eustathio Bellaïo, Christianif- SIMI GREGIS PARIENSIS

ut sapientissimo, ita vigilantissimo Pastori

Matthæus Frigillanus Bellouacus

bene agere.



Vnquam hoc meum fuit institutum, aut Κέρως ἀμαλ-
γείας dare, aut Κήριον aliquod fundere, aut Aristobuli
vineam in templo Iouis consecrare, Antistes amplissi-
me: sed Carneadus patinarum obliuio ex philosophica cō-
templatione, Archimedis Geometra Syracusani mors,
quod nimis intentus describendo circulo in puluere erudito, militē ne-
glexerit: Aristippi præclarum Dionysio responsum de præsentia phi-
losophorum ad limina diuinitum, Anaxagoras ex philosophia soliloquium,
Diogenes Cynici quid philosophari per simulatam philosophiam, per
imperium, & viuere ut bene viuas: Solonis moriendi cupiditas, post
intellectionem eorum de quibus esset dissertatio, Thales Mileſi per
Astrologiam nota oliuarum vbertas, Platonis in Academia nulla disci-
plinarum mendicitas: Philosophus vno contentus, ut alter alteri sit
theatrum: Paucitas iudicium, qua contenta est philosophia, Democriti
perennis risus rerum fluxarum & caducarum, earundem Heracliti per-
petuus fletus, Cræti abiectio diuitiarum, Anaxagora salus cum prædis
situ obſitus: mihi persuadet cum omnibus viris bonis, tum maxime tibi
sincera germanaque sapientia, nihil omnino iucundius esse posse, quæ
te vigilantissimum gregis Parisiensis pastorem, & sapientissimum an-
tistitem reddit. Exitus satis acta probat. Ad diuina munera obeunda
neque impios, neque ignaros admittis. Requiris scientiam in labiis sacer-
dotum. Exigis in tuo grege nobilitatem viriute partam. Vehementer
amas omnes amore sciendi flagrantem. Tua Ευχαρεία omnibus est ad-
mirationi. Quibus causis permotus animus meus, existimauit hoc par-
uum opusculum tibi non fore ingratum, illudque tuo fauore posse libere
in manus hominum venire, si sub tuo clarissimo nomine appareret. Cum
bonis musis bene vale. Lutetia Parisiorum 10. Calend. Martij 1561.

A ij

TRIGINTA QUATVOR CA-
PITVM LIBRI ALCINOI AR-
gumenta, summatim distichis comprehensa.

- P**erlege quisquis amas diuini scripta Platonis,
Alcinous doctum quod breue scripsit opus.
Ardua visceribus Sophiæ nam multa sepulta,
Hoc lecto, lector, peruia dulcis erunt.
Aurea mellifluis complectens dogmata chartis,
Triginta & quatuor funditur in capita.
- 1 Primo, quid Sophiæ studium docet, ingenij vim
Eximiam, felicemque decere Sophum.
 - 2 Vita Sophis semper contemplatiua probatur:
Hos merito Praxim posthabuisse liquet.
 - 3 Qui querit verum, studiosè agit, arguit aptè,
Subtilis referet præmia magna Sophi.
 - 4 Quarto quæ sit iudiciaria disce facultas:
Quæue animæ vires iudicium pariant.
 - 5 Ars prius inquit rerum Dialectica primam
Naturam: quodcunque accidit inde rei.
 - 6 Quædam enunciat affirmans oratio totum,
Vel partem: datur ast altera, nempe negans.
 - 7 Scinditur in varias tandem speculatio formas:
Quarum discrimen commemorata probant.
 - 8 Chara est formarum nutrix, matérque, locúsque,
Prima fouens omnes unica materia.
 - 9 Principium exemplare facit, statuítque paternum:
Sit prius idea, posteriúsque Deus.
 - 10 En tibi pulchra Dei sequitur descriptio summi:
Illum tu sola cernere mente potes.

- 11 *Corporis omnino est expers affectio quæuis:*
Subiicitur minime, semper inesse solet.
- 12 *Explicat hîc qualis fuerit generatio mundi:*
Condiderit proprio ut numine cuncta Deus.
- 13 *Quàm bene conueniant mundo, quadrèntque figura*
Multiplices, lector, pagina docta canit.
- 14 *Quæ vires animæ, quæ definitio, pandit:*
Plurima de Sphæris, Syderibúsque notans.
- 15 *Velut aquas habitant, varij sic dæmones ignem.*
Æthereum plures, aëriúmque locum.
- 16 *Qui mortale hominum genus hoc formasse feruntur,*
Esse Deúm natos asserit artifices.
- 17 *Singula corporis humani iam membra recenset:*
Nulla Anima ipsius munera præteriens.
- 18 *De visu doctè, de lumine multa videbis:*
Quid faciat speculum scribit imaginibus.
- 19 *Sensibus hinc reliquis quæ sint obiecta fatetur:*
Horum tum motus, organa, materiam.
- 20 *Quí graue, quí leue tuto definire licebit,*
Nónne per infernum, per superúmque locum?
- 21 *Nosse modum quo respirent animantia quærens*
Ista legat: lectis, nullus abibit iners.
- 22 *Morborum causas author disquirat acutè:*
Corpora queis miserè nostra caduca ruunt.
- 23 *Est capitis ratio, tanquam dominetur in arce:*
Ira, Cupido furens inferiora tenent.
- 24 *Clara animæ partes inter distinctio facta,*
Vna probat quantum discrepet à reliquis.
- 25 *Nunquam anima esse potest horrendæ obnoxia morti:*
Illa, sed assumpto corpore, viua manet.

- 26 *Virtutes animi iunctæ virtutibus hærent:
Non tamen & vitis conuenit esse simul.*
- 27 *Actio virtutis purè sit libera quauis,
Manabit nullum à mente volente scelus.*
- 28 *Affectus hominis varij sunt, improbus esto,
Quem technis alios ledere quosque iuuat.*
- 29 *Cùm mera agendi humanis sit concessa potestas,
Lex hominem fati cogere nulla valet.*
- 30 *Ad summum caeleste bonum referantur oportet
Omnia, quæ veniunt nomine digna boni.*
- 31 *Præcipuas virtutum desinire volenti
Quæ poterunt, author tradidit esse satis.*
- 32 *Quid, sincerus amor, firmos qui nectat amicos,
Admonet: & quæ sint vincula amicitie.*
- 33 *Vna gradus multos habet vt Respublica, totam
Plures Alcinoüs diuidit in species.*
- 34 *Exhibet ecce tuos, versute sophista, colores:
Asapiente manes sine, modoque procul.*

IN M. FRIGILLANI HVIVS
operis Scholiastæ doctissimi laudem N.
Buchailleti Exastichum.

*Quod cupidis fuerat lectoribus antea gratum,
Frigillæ modulis gratius extat opus.
Indefessa canit volitando per arua Platonis:
Inuidet aureolos cui Philomela sonos.
Inuidiam cantu poterit superare suauis:
Et dici generis gloria prima sui.*

Matthæi Frigillani Bellouaci

SCHOLIORVM IN LIBRVM ALCI-

noi Platonici de doctrina Platonis, quæ viam

ad limen Academiæ Platonis monstrare

poterunt Præfatio.



EX D. Platone, Cicerone, & Alcino, viris Platoniciis, triplicem philosophandi rationem accepimus, quæ rerum, alioqui infinitarum, varietas quodammodo sub humanam cognitionem cadere potest. Tantam rerum varietatem sapientissimus Alcino, Platoniciæ doctrinæ amantissimus, in simplicissimam docendi rationem reuocat, quæ maximè definitionibus fieri solet, diuisionibus iuari, & proprietatum explicatione absolui, quibus res à rebus nostræ mentis imbecillitas distinguit. Ac primùm, initio sumpto à cõmuniõibus, ex fine, officiis, & partibus, Philosophiæ ac philosophi naturã euoluit. Interferit quæ de re dialecticã à D. Platone didicit: & quoniam septimo de Repub. dialecticã videtur intelligere primam philosophiam, quæ per Antonomasiã simpliciter philosophia nominatur: ideo Dei, qui semper est, idearum, animæ mundi, dæmonum, quorum omnium cognitione maximè curat Philosophus, explicationem ex Parmenide, Timæo, Phædone, Menone, aliisque dialogis subnectit. Addit rerum naturalium, & earum, quæ mediæ sunt, proprietates & accidẽtia. Vbi meminerit studiosus lector hæc tam multum adiuuentum adferre ad cognoscendam naturam animi humani: quæ quoniam mediã est, vt tradit Proclus Diadochus, dicta est Arithmetica, Harmonica, Geometrica, & Sphærica: Arithmetica quidem, quoniam essentielles vnitates & numeros in se complectitur; Harmonica propter rationes horum numerorum: Geometrica ab integritate, à forma, & lineari essẽtia: Sphærica verò, vt est apud Platonem in Timæo, propter orbicularem intellectiõem, qua reflexiõne quadam, se ipsam agnoscit: quæ quomodo fiat, poteris colligere ex no-

fris scholiis in illum dialogum . Meminerit etiam distribu-
tionis, cognitionis Platonicae in tria genera, quorum vnum
primis, alterum mediis, tertium postremis substantiis debetur,
primas in intellectu, postremas in opinione, medias vero cogi-
tatione comprehendendi, quae vera scientia & sapientia est longè
inferior, sed ipsa opinione multò perfectior . Quà dissimili-
tudinem facillè intelliget, qui substantias separatas, immateria-
les, & omnis diuisionis expertes, conferre poterit cum iis quae
absque diuisione, materia & motu intelligi nequeunt. Memi-
nerit praeterea amoris Platonici triplicem esse vnionem: pri-
mam quae ex synceris animi bonis, alteram quae ex volupta-
tibus corporis, tertiam quae ex pecuniarum abundantia fun-
damentum & causam habet. Alcinoium in sapientia Platonis
feliciter versatum primam vnionem sibi proposuisse, atque
hunc librū scripsisse, vt quae in Platonica doctrinae penetrali-
bus latebant, in lucem proferret, qua non omnibus, sed philo-
sophis frui datum est. Siquidem res philosophicae etiam diui-
nis ingeniis innotescere nequeunt, nisi mens humana radio
diuino illustretur. Agnoscat insuper doctrinae Platonicae fi-
nem esse, vt animus degens in corporis custodia, reddatur ido-
neus ad res agendas, ad vitæ tranquillitatē, ad diuinorum in-
uestigationē, ad arcana diuinæ philosophiae mysteria, ad vitæ
huius umbratilis inania spernenda. Sed contextus explicatio-
nem, quam beneuolo lectori gratam speramus, iam aggredia-
mur, si modò agnouerit Alcinoium sibi proposuisse Platonis
doctrinam, quod eius lectio ita sit utilis, vt non modò adferat
animi moderationem & equitatem, sed efficiat suauem etiam
& iucundam vitam. Hic enim D. Plato longè omnium qui-
cunque fuerunt, intelligendi dicendique grauissimus artifex,
eos fontes habet, ex quibus iuuentus utilitatis, Respublica lau-
dis plurimum haurire potest . Ex iis certè diuinarum huma-
narumque rerum cognitio promanat.

5 276

M. Frigillani in Alcinooum
DE DOCTRINA PLATO-
NIS SCHOLIA.

In Caput I.



Racipuarum institutionum) *Κυρωτάτων*
δογμάτων vult innuere uniuersam D.
 Platonis philosophiam hoc libro ad certos
 fontes, certaque capita & dogmata reuo-
 cari. Quam autē varia sint Platonis in-
 stitutiones, quāmq; multiplex, & aurei fluminis instar exu-
 berans eius διδασκαλία, hinc satis perspicuū esse potest, quod
 hic philosophorum Deus, omniumque philosophorum prin-
 ceptis (sic enim loquitur Cicero) authoritatis pondere, & eru-
 ditionis ubertate reliquos superās, in optimis Hebręos, Mo-
 sen & Salomonem sequutus, nullum genus vitæ, nullum ge-
 nus honestæ & castæ doctrinæ non attigerit, ut qui etiam
 philosophiam ab acerrima sophistarum delirantium pugna
 liberam reddiderit, ad humanitatēque vocauerit. Vbi ob-
 seruandum, Platonis philosophandi rationem quodammodo
 diuersam à Pythagorica & Socratica: Nam Pythagoras
 in rerum contemplatione, cognitione & scientia longē cate-
 ris antecellebat, Socrates Philosophiæ parens, actione alios
 multum anteibat, sapientissimus verò ille heros Græciæ D.
 Plato, utroque in genere & laborauit & floruit.

Philosophia) Hæc appellatio authorem habuit Pytha-
 goræ modestiam, qui existimauit solum Deum verè sophum
 esse, philosophum autē Dei imitorem. Vnde Cicero quin-

ta Tusculana sapientiam, rem esse antiquissimam fatetur, sed Philosophia nomen recens. Vbi ὁπεξίς σοφίας ad omnis sapientiae appetitionem referenda est: nam quinto de Repub. ita loquitur Socrates: Nonne Philosophum sapientiae studiosum esse dicemus, non illius quidem avidum, huius non, sed omnis potius sapientiae? Et eodem dialogo, veros philosophos dicit, veritatis inspicenda cupidos. Is igitur vere dicatur philosophus, qui ad quamlibet doctrinam degustandam est propensissimus, ad discendum longè promptissimus, rebus cognoscendis insatiabili cupiditate inhians.

Vel solutio animae) Hanc animi à corpore separationē Cicero prima Tusculana ita explicat: Tota philosophorum vita commentatio est mortis: nam quid aliud agimus, cum à voluptate, id est à corpore, cum à re familiari, quae est ministra & famula corporis, quum à Repub. quum à negotio omni seuocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximeque à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum, nequicquam aliud est, quàm emori discere. longè plura Socrates in Phaedone iam iam cicutam bibiturus.

Sapientia est diuinarum) Theaetetus in Sophista Platonis hospiti interroganti, an quisquam mortaliū posset omnia scire, hoc modo respondit, Beatum hercle, si omnia sciret, genus humanum esset. Quarto libro de dictis & factis Socratis contendit Xenophon, nullum hac definitione sapientem in hac vita: In omnibus, inquit, hominē esse sapientem est impossibile. Vnde Aristoteles primo primae philosophiae, Talem, inquit, scientiam aut solus, aut maxime Deus habet.

Rerum diuinarum) Sapiens, inquit Aristoteles decimo Ethicorum, diis immortalibus est amicissimus, quia intellectum tanquam rem diuinam honorat, quem dii maxime amant: omnia nosse debet Sapiens, primo primæ philosophiæ: Omnia autem diuinum quid habent natura, 7. Ethicorum.

Et qui Philosophus futurus est) Octo necessaria, ut quis perfectus philosophus euadat, veramque sapientiam sibi comparare possit: Facilis propensio ad omnia disciplinarum genera, 2. Contemptus rerum fluxarum & caducarum, 3. Naturalis amor veritatis, quo, neglectis corporeis voluptatibus, ad contemplanda quæ verè bona sunt, mens humana rapitur. 4. Temperantia magnam sui partem naturalem habens, adeò ut animi facultates inferiores superioris iussa non respuant. 5. Animus planè liberalis. 6. Animus item per synceram voluntatē iustitiæ cultor. 7. Ingenij acumen atque memoria. 8. Decens disciplina & educatio honesta. Ex quibus colligere licebit in D. Platonis & Aristotelis doctrina, quis germanæ sapientiæ sit idoneus auditor.

Ab ipsa natura sic institutus) Licet enim, ut est apud Aristotelem 6. Ethicorum, sapiens nemo sit natura: eius tamen adeptio naturalem aptitudinem & procliuatatem requirit. Vnde eodē libro quasdam virtutes naturales admittit.

Omnia disciplinarum genera) Vnde philosophi & sapientis nomine est indignus, qui ἐγχευλοπαυδέας nō absoluit.

Illis quæ semper eodem modo) Sexto de Republica hac de re ita loquitur Socrates: Hoc sane primum inter nos constat de philosophorum ingeniis, quòd semper illam diligunt disciplinam, qua illis fiat notior illa natura, quæ semper est, neque ortu aut interitu mutatur.

Natura verax) Nono de Repub. ita scribit Plato, Quanta sit in veritatis contemplatione suauitas, solus philosophus nouit, cui non est dissimile quod sectionis trigesime problemate decimo tradit Aristoteles, Sapientia certaminibus nulla à veteribus proposita esse premia, quoniã premium suo certamine prestantius esse decet: ipsa verò sapientia & cognitione veritatis nullum premium prestantius esse potest: sed ad Alcinoi sententiam accommodatius est, quod est scriptum s. de Legib. Veritas, inquit Plato, tum diis, tum hominibus dux est omnium bonorum, cuius qui felix beatusque futurus est, statim ab initio particeps esse debet, ut in veritate plurimum tempus vitam agat. Porro gratia maioris eruditionis hinc obseruare non fuerit inutile, veritatem esse adaequationem notionũ, quae sunt in intellectu cum rebus. Praeterea, dissimilitudinem inter eius & rei intellectiõnem: nam intelligitur res intellectu recta, veritas autem solum flexa. Ut igitur quis euadat philosophus, necesse est à pueritia sua semper veritatẽ appetierit, & mēdacium omne oderit. vnde lib. de Repreh. sophist. Sapientis officium est non mentiri, & mentientem manifestare.

Praeterea temperatum hunc) Non abs re in futuro philosopho magna à natura initia temperantiae requiruntur, quoniam cum ex ipso corporis commercio maxime ad voluptatem & intemperantiam procliuēs simus, in eaque ab infantia nutriamur, difficillime temperantiã adipiscimur: huic enim semper impetus opponitur, atque à quouis affectu vndique impeditur. Absque ea tamen purgari non potest animus, neque mens ad contemplationem veritatis esse libera, de quibus vide Socratem in Phaedone. Temperantia defi-

niri solet moderatio omnium cōmotionum rationi obediens: verum eam accuratè definire non est facile, quoniam à ceteris virtutibus, quarum consonantia quaedam est, vix discerni potest. Eam Cicero nominat rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firmam & moderatam dominationem.

Veritatis avidus) Qui synceras animi voluptates ex veritatis contemplatione degustavit, corporis voluptates ut sordes agnoscit, eas nemo degustabit qui temperatus nō fuerit: talis autem, ut est apud Platonem i. de Legib. nemo perfectè esse potest, nisi voluptatibus atque cupiditatibus plurimis ad impudentiam & iniuriam compellentibus, fortiter repugnauerit, ac ratione operèque & arte tam iocosis, quàm seriis in rebus deuicerit.

Voluptates corporis paruipendit) Quarto libro de factis & dictis Socratis, corporis voluptatem aspernandam esse his verbis satis declarat Xenophon: Homini voluptatibus seruianti nulla unquam virtus potest cōuenire, siquidem inter incontinentem & belluam nihil interest. Voluptas ex causa efficiente definitur à subtiliter philosophantibus, rei conuenientis naturæ animi perceptio. Nam si species que primo aliquo sensu percipitur, fuerit naturæ conueniens, eius perceptio non malè voluptas nominatur, quemadmodum si naturæ aduersetur, dicitur dolor: adeò ut verè possimus asserere nec voluptatem, nec dolorè sub aliquem sensum cadere: quis enim dicet sensationem sentiri? Ex fine etiā possumus cognoscere hominis triplicem esse voluptatem: nam ei finis triplex est propositus, quorum primus ad indiuidui conseruationem pertinet, eius gratia datæ sunt voluptates sensuum, & ma-

ximè gustatus. Secundus refertur ad perfectionem hominis Platonici, id est animi, cui consecrata est intellectio, cuius ultimus finis est beatitudo, qua fruimur, duce sapientia. Tertius, est conservatio speciei per continuam procreationem indiuiduorum, cui parata est voluptas ex Venere.

Liberali animo) Rerum vilium amor animum seruum reddit, auocatq; à sapientiæ perfecta adeptione: neque tamè liberalitas Politica præcipit, vt liberalis suas opes negligat: Illis enim, vt scribit Arist. 4. Ethic. multis fert opem, etiam quibus oportet.

Eius insuper voluntas) Iustitia, cuius ambitu quadam relatione ad alterum, omnes virtutes continetur, necessaria est futuro philosopho, quoniam ea est vera parens tranquillitatis animi, sine qua non est philosophica cõtemplatio. Vbi obserua multorum hanc esse sententiam, quam veram arbitror, vt appetitus inferior certis quibusdam virtutibus perficitur, ita superioris, qui dicitur voluntas, veram perfectionem esse iustitiam. Obserua etiam amorem & dilectionem non intellectus, sed voluntatis esse functiones.

Ingenij acumine) Tarda mens ad intelligendum, ingenium obliuiosum ad discendum, nequaquam consentanea sunt homini philosopho. Porro, vt est apud Xenophontem quarto de factis & dictis Socratis, Ingenia acuta putabat Socrates illorũ, qui ea celeriter discebant, quibus studebant, & memoria retinerent quacunque discerent. Hæc à natura insunt, vocanturq; dotes naturæ, quas Plutarchus lib. de educandis liberis, numerat in iis quæ ad operis perfectionem vitæ obeundam concurrere oportet: quæ sunt natura, ratio & consuetudo.

Cum disciplina) Disciplina est ea vita statim à pueri-
tia institutio, quæ in amorem virtutis paulatim inducit ani-
mum puerilem, per quam tandem sciat imperare & parère.
Plato interdum asserit disciplinam pueris esse instar frani,
vbi intelligit $\chi\alpha\mu\alpha\tau\alpha$, quibus coërcentur, ne in diuersa fe-
rantur. decimo Ethicorum, Omnium rerum nihil est me-
lius, nihil præstantius, quàm si recta disciplina publicè san-
ciatur, quam omnes sequi possint.

Atque educatio decens) Xenophon disciplinae Cyri
primo lib. apud Persas, inquit, Pueri euntes ad ludos, iusti-
tig dant operam. Secundo Ethic. Aristoteli cum Platone re-
cta est educatio, qua quis iam inde à puero ita est institutus,
ut letetur bonis rebus, doleatq; contrariis. 10. Ethic. Prescri-
bi educatio & studia debent legibus, quæ molesta nõ erunt,
si consuetudo adhibeatur. Ibidem, Si quis bonus futurus est,
primum rectè educari debet, consuetudinèque exercita-
tionis capere.

Temperantia & fortitudinis) Solet Plato temperantiam
cum fortitudine semper miscere: hic autem tres has virtu-
tes intellige tũ naturales, tum acquisitas, quæ in omni actio-
ne studiosa splendorem quendam habent, & harum benefi-
cio animus humanus seipsum agnoscit. quod ubique Socra-
ti videtur philosophi propriũ. Porro huius sententiæ, Nosce
teipsum, triplicem explicationem, eamq; Socraticam, requi-
re ex nostris scholiis, in dialogum Platonis de philosophia.

In Cap. 2.

Cum sapientia sit rerum diuinarum & humanarum co-
gnitio ac scientia, debeatq; philosophus nõ vnus, sed omnis
sapientiæ esse studiosus, tria que sint, quibus mens humana

verè perficitur, contemplatio rerum, actio moralis, & disse-
rendi subtilitas. Ad hæc ita affectus esse debet philosophus,
ut sapientiam tanquam reginam agnoscat, cuius totum ne-
gotium, seu potius otium in contemplatione resplendet: reli-
quas ut ministras, nimirum ut per actionem moralem pur-
getur animus, atque perturbationibus liberetur. A faculta-
te autem disserendi ea instrumenta accipiat, quibus verita-
tem in profundo demersam, dilucidam, & tenebris vacuam
habeat.

Cùm dua sint vite) Huic diuisioni non videtur con-
sentire Aristotelis diuisioni finium, initio primi Ethicorum,
nisi dicas contemplationem esse quandam animi actionem,
aut eam non pertinere ad disciplinam moralem, in qua dun-
taxat finis politicus videtur exquiri.

In veritatis cognitione) Nulla est philosophiæ pars, cui
non sit proposita cognitio veritatis, sed hac dissimilitudine,
quæ in praxi versatur, eam agnitam aliò refert: speculatiua
verò in eiusmodi cognitione conquiescit. Vbi obseruare po-
terit studiosus lector, non vno modo scientiam aliquam no-
minari speculatiuã. nam si materia subiecta nullo modo sub
actionem cadere possit, eius cognitio verè speculatiua nomi-
natur: tum si modum considerationis spectes, in qualibet di-
sciplina est quaedã speculatio, præterea ex fine eiusmodi ap-
pellationem sortitur.

Τίμους μὲν δὴ ὁ θεὸς ἐπιτελεῖ βίος) Cap. 5. primi rhetoricorum
vult Aristoteles honorem esse partem felicitatis: & primo
Ethicorum propius, quàm diuitias ad beatitudinẽ accede-
re: distingui à laude, maximum esse bonorum externorũ: diis
primum deberi, quibus, contemplatione veritatis, homines

similes redduntur: proinde hic rectè inter res honorabiles numeratur ἡ δὲ ἀρετὴ βίος : ubi tamen non videtur pratermittendum, quòd octavo Ethic. Præstantius est amari, quàm honore affici: & 5. dialogo de Legib. Primum diis, alterum animo humano, tertium honorem corpori deberi.

4 Pedissequa verò necessariorumq;) Aristot. 8. cap. 10. Ethic. Vita actiua dignitate est secunda, quoniam consistit in actionibus humanis, qua parte sunt humana, speculatiue, quæ eadem est cum philosophica, primus locus tribuendus: plura secundo cap. septimi Politicorum.

5 Contemplatio est operatio mentis diuina intelligentis) Contemplatio, optima est & maximè delectabilis, duodecimo primæ philosophiæ: septimo cap. 10. Ethic. Vita speculatiua tantò est excellentior vita totius cõpositi humani, quanto excellentius quod in homine est diuinum: & 10. cap. eiusdem libri, Bellus ut contemplationis, ita felicitatis sunt expertes. Præterea quantum homini inest contẽplationis, tantum & beatitudinis. Ex Platonis dialogo de summo bono, Vita contemplatiua omnium diuinissima est. Ficinus in 1. de Repub. Quanto oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ ad finem, æternitas tempori, tanto contemplatiua vita actiua præstare videtur.

6 Per corpus expleta) Huius actionis & factionis diuersos habitus agnosces ex sexto Ethicorum, Hæc, inquit Arist. 8. cap. 7. Pol. multis instrumentis indiget, quæ ab ipsa indigentia esse reperta rationi est consentaneum, quibus certè à seria cõtẽplatione multum auocatur mens humana. Cæterum quibus modis sumatur viuere, & à quibus substan-

tiis concedatur his inferioribus. Vide 2. de animo & primo de calo.

Ευπαθεῖν λέγεται) Vera perfectio humana mētis, germana cognitio veritatis, quam adfert sapientia, verum deorū munus, Socrates in Phædone. Arist. 6. & 10. Ethicorum, item primo prima philosophia, & sexto.

Καὶ τὸ τὸ πᾶνμα αὐτῆς φρόνησις ὀνόμαται) Planè aurea descriptio sapientia, maxime ex fine, ut, quantum Deus & natura concedunt, homo ad deos proximè accedat, neglectis aliis generibus viuendi, quæ sunt ciuile & voluptuosum.

Quamobrè eiusmodi) Vera cōtemplationis cōmendatio ex variis Academia & Licij locis deprompta, ubi obserua contemplationem non impediri, quoniam tum maxime fit, cū est animus à corpore separatus: Illam separationem superius ex Cicerone declarauimus.

Atque etiam propositi finis) Καὶ τὸ σκοπεῖν τὸ τέλος ἡμῶν αἴτιον: ut in actione virtutis moralis consistit beatitudo politica, ita in vera cōtemplatione, tanquam in ultimo fine philosophica, vnde Arist. 1. philosophia proponit summū bonū.

Etenim studiosus disciplina vir) Philosopho vult Socrates accedendum ad Reip. gubernacula, ne ciues sub tyrānide miserrimam seruitutem seruiant. Cū verò rex philosophus est, negotiis ciuilibus non præpeditur contemplatio veritatis: nam hanc illis anteponendam non ignorat.

In Cap. 3.

Hanc tripartitam philosophici negotij diuisionem Cicero Platoni, Galenus libro de historia philosophica Socrati ascribit. Vide nostra Scholia in differendi subtilitatem, & in Timæum Platonis.

Διαίρεται δὲ αὐτὴ) Hanc diuisionem non probant, quibus ex Aristotelis doctrina placet organum logicum constare analytica & dialectica. Obseruet discipulus quibus potissimum instrumentis suum usum consequatur differendi subtilitas, cum res proposita vel necessario vel probabiliter est tractanda: tum discrimen inter ἀποδείκτον καὶ ἄπειρα χειρματιδὸν συλλογισμῶν.

Organon Ex Analytica
Dialectica

Interdum necessaria) Hæc necessitas persuasit Aristoteli, ut de reprehensionibus sophistarum scriberet, atque texendi, retexendi, dissoluendi sophismata, rationem traderet. Nam qui captionum solutionem negligit, ignarus earum haberi solet.

Eius præterea quæ in agendo) Partium subdiuisio ex diuersitate materiae subiectæ, & finium. Vbi obserua quod etiã habetur 6. lib. primæ philosophiæ, tres partes scientiæ speculatiuæ, & quæ cuiusque sit præcipua cura.

In Cap. 4.

Rationis differendi duas primarias partes agnoscit Cicero: unam inueniendi, alteram iudicandi. Vult homo Platonius iudicium medium esse quoddam inter animi facultatem iudicantem, quæ est ratio, imaginatio, aut sensus, & res de quibus homo iudicat, quæ sunt obiecta earum facultatum, quibus inest vis cognoscendi. Eiusmodi iudicium exerceri beneficio instrumentorum, quæ ars dialectica subministrat. neque certè aliud videtur esse dialectica, quàm artificiosa perfectio prudentiæ naturalis, quæ in aliquo usu rationis fundamentum habere videtur. hic autem usus partim in scientia, partim in opinione vera aut falsa relucet ex memoriæ

certitudine aut incertitudine, de quibus Arist. 3. & 6. Ethicorum, 2. de Demonstratione Plato in Theateto.

In Cap. 5.

Diacresi, quam sequitur Synthesis, & analysi cuiusque thematis simplicis essentiam maximè cognoscimus. vide quæ ex Aristotelis Analytico posteriore, ex Cicerone, ex Galeni historia philosophica, ex Perionij dialectica, ex Celij secundo, traduximus in nostra Scholia, tum in artem differendi, tum in Timæum Platonis.

Primum elementum) Vera consensio inter Platonem & Aristotelem: vult uterq; cuiusque disciplinæ verum principium esse definitionem seu explicationem essentiæ rei, de qua quæritur, & de qua futura est scientia. semper enim in definitione aliquod genus causæ continetur.

Postea quæ contingunt aduertere) Nullius accidentis potest haberi accurata cognitio, si subiecti nulla ratio habeatur: quanquam nostræ mentis imbecillitas accidentibus multum iuuatur, tamè essentiæ & definitionis partes exquirat, aut aspirat ad principiorum cognitionem: hæc enim non cognoscuntur nisi lumine intellectus agentis, effectibus & accidentibus. vnde 3. Physic. Si motus ignoretur, natura etiam ignorabitur. primo de animo accidentia multum conducunt ad definiendum. Cicero, Communium frequentia plerunq; definire cogimur. Rodolphus 1. lib. explicans quid asinus, quid ius, quid ciuitas.

Ex superioribus diuidendo) Quanta sit utilitas diuisionis, & quæ latè pateat huius vsus, pulchrè declarat Arist. 16. cap. 2. de Demonstratione, & Socrates asserens sapienter diuidentem diis similem esse. in Phædo.

Dialectica membra) Hæc tum membra, tum instrumenta verè dici possunt: quæ enim de iis traduntur præceptiones dialecticæ, corpus integrum reddunt, & cùm seriè disciplinæ tractantur, hæc vera sunt disputationis & examinis instrumenta. plura vide in nostro opusculo de vario animi discursu: ex Fracastorio & Scaligero.

Diuisionum præterea quædã est generis in species) Explicatio diuisionis per distributionem in quinque species, quas Galeni historia philosophica ita effert: Diuiditur nomen in significationes, totum in partes, genus in species, species in singularia, & hæc in accidentia, quæ tum in seipsa, tum in subiecta diuiduntur.

In partem rationalem & ratione) Hæc diuisio pene est ubique apud Platonem & Arist. sed inde non tibi persuadeas animum essentialiter esse participem diuisionis: est enim essentia simplex, in qua non alia diuersitas spectatur, quàm ratione actus & potentia, ut inter hunc & primam causam sit dissimilitudo. Apud Ciceronem huius diuisionis partes videntur ad Mathematicam integritatem pertinere.

Est in super vocis) Hanc diuisionem præclare explicatam habes ab Aristotele 1. Topic. & 2. cap. 4. lib. de prima philosophia.

Diuisione igitur generis) Huic diuisioni primus locus iure tribuitur, quoniam rei, quæ nata est definiri, essentia genere & differentiis commodissimè euoluitur.

Rei definiendæ) Hæc sunt Aristot. 6. Topic. & 2. de Demonstratione, siue per proximum, siue per remotum genus tradatur definitio. Interim rogo studiosum lectorem ex Timeo Platonis agnoscere has tres analyseos species.

In Cap. 6.

Ex variis affectionibus enuntiationis variæ diuisiones desumuntur, quas poteris agnoscere ex nostris scholiis in artem differendi. Argumentationis duæ sunt species, quædam simplices, quædã coniunctæ: utriusque generis tria sunt mēbra, quorum vsum apertissimè docuit Plato, cùm interdū in veros discipulos, interdum in sophistas, interdum denique in litigiosos agit.

In Cap. 7.

Deinceps de speculatiua) Hęc diuissio, ut superius admo- nuimus, est Aristotelis partim ex materia, partim ex modo, partim etiam ex fine: quæ si diligentius obseruabuntur, facile agnoscemus, non omnes res, quæ sub humanam cognitionē cadunt, eadem ratione tractari.

Theologi finis) Omnino Socratica & Platonica distin- ctio ex finium diuersitate, quam solus sapiens probè nouit: nam præter eum, nemo satis nouit quarum rerū cognitio pro- ponatur illis tribus partibus philosophiæ speculatiuæ.

Quæ sit mundi natura perdiscere) Rectè Plato & A- ristoteles censent cognitionem partium vniuersi, quæ sunt quinque ad philosophum naturalem & humanum pertine- re: hoc enim homo à natura & Deo propositum habet: ut sit spectator theatri vniuersitatis, duobusque sensibus, qui gra- tia disciplinæ dati sunt, ad caelestia & diuina tandem per- ueniat.

Mathematici finis) Vide 2. cap. 2. Physi. primum cap. pri- mi de cælo, ut agnoscas consensionem inter mathesin & phy- sicam: plura 6. Metaph. longè plura ratio docebit, eū qui so-

lūm fuerit mathematicus, nullius substantiæ essentiam posse accuratè attingere.

Ab errore atque ignorantia) Maximus usus, quem humana natura ex mathematicis recipere potest. Vide Caberis tabulas, Timæum Platonis, Procli commentaria in elementa Euclidis.

Sedita utitur) In quem finem philosophi animus Geometria sit exornandus.

Nam post secundam) Prima est longitudinis, altera latitudinis, tertia hæc soliditatis, quæ animo, non re ipsa, separantur. Fit enim rei naturalis accretio simul ratione trium dimensionum.

Authorémque diei ac noctis) Hæc sunt Platonis in Timæo, ubi obserua has artificiosas partes temporis contingere non ex solo motu primi cæli, sed orbium inferiorum & planetarum in zodiaco.

Preludium quoddam) In mundo ideali vera ratio, dimensio & symphonia, concentus & harmonia quærenda: viam monstrant Mathematicæ disciplina.

In Cap. 8.

Cum ad diuina, & ea quæ sua natura sunt maximè intelligibilia animus noster sit affectus, dum est in corporis custodia, quemadmodum oculus noctuæ ad clarissimum lumen solis: rectè Plato & Aristoteles ex iis quæ materia sunt immersa, variisque mutationibus subiecta, censent progrediendum ad mathematica, atque ab his ad veras ideas, resque planè diuinas.

Vsque ad hominum genituram) Hæc Platonis progressio videri potest esse à Mose, aut fortasse alludit ad hæc del-

phicam sententiam: Nosce te ipsum, cuius triplex est explicatio apud Platonem. Vide nostra scholia in dialogum de philosophia.

Effigierum omnium) *Vi locus vicissim & certo quodā ordine varia corpora admittit, ita materia per se ortus & interitus expers, varias formas per transmutationem, cuius cause sunt actiones qualitatum, appetitus. de quo vide Mirandulam de appetitu materia.*

Locum) *Hac de re ita Arist. 4. de Natura: Materia non est locus, quoniam nec à re seiungi potest, nec eam continet, quorum utrunque in loco valet.*

Adulterina ratiocinatione) *Hanc spuriam & adulterinam cognitionē septimo cap. 1. de Nat. sic explicat Aristoteles: Natura, quæ subest, similitudine est cognoscenda: quam enim rationem es ad statuam habet, vel lignū ad lectum, eandem habet materia ad essentiam.*

Suapte natura omnis formæ) *Ratio satis manifesta, cur materia per se sub cognitionem non possit cadere. Ceterum ex hoc loco non colliges posse dari materiam absque forma, aut formam in eam posse introduci, nulla antecedente actione qualitatum.*

Sed potentia corpus) *Materia medium quoddam inter ens & non ens, inter corporeum & incorporeum.*

In Cap. 9.

In prima philosophia scribit Arist. Socratem & Platonem asseruisse ideas, ne in Heracliti & Cratylly errorem laberetur. Eas, ut doctè explicat Strebæus in primum Ethicorum, prius quàm mittatur in corpus, & postquam à corpore separatus est animus, liberè contemplatur: in corpore remi-

niscitur. Id unum dolendum est, quòd Plato, & eius discipulus Aristo. rem ut diuinam, ita abditam, nobis tam inuoluntè tradiderint, ut vix inter duos philosophos, qui post illos vixerunt, maiorem, quàm inter horologia, consensum reperias.

Est autem idea) Vis triplex & consideratio idea: ubi obserua, quòd pulchrè tradit Fracastorius, intellectionem fieri non posse absque specie, cuius meminit Arist. initio lib. de Interpret. & 3. de animo 6. cap. primi Ethicorum, proluxa est exagitatio idearum, sed solum popularis, & potius in rudiores Platonicos, quàm in ipsum Platonem. Vide Eustratium & Melanch. simul Georgium Acanthium 2. de philosophia Platonis. Arbitratur Varro Platonem nomine idearum intellexisse Mineruam. vide D. August. 28. cap. lib. 7. de ciuitate Dei, & Viuis commentarium in idem cap.

Nam ex iis qui Platonem sequuti) Post Platonem floruit Aristo. hic ad finem sexti cap. primi Ethicorum artificibus asserit propositum exemplar nihil conducere, neque diuinum philosophum rerum omnium ideas tradidisse.

Quòd vero sint idea) Intellectio aeterna, mensura immaterialis, certa mundi fabricatio, distinctio intellectionis ab opinione, videtur Platonis idearum existetiam satis probare.

In Cap. 10.

Existimat Varro eos solos animaduertisse, quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem. D. August. 31. cap. 4. de ciuitate Dei. Cicero 1. Tuscul. Deus, est mens quaedam soluta & libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque praedita motu sempiterno. quae, ut ait D.

August. reperit in doctrinis magnorum philosophorū. Cæterum quæ de Deo scriptis mandauit Arist. agnoscere poteris ex opusculo quod hac de re scripsimus. Platonici Deum hac oratione conantur explicare: Deus, est natura simplex, æterna, bona, intelligens, summa, atque perfectissima, quæ semper est, nec ortum habet, quæ animo, non sensu tenetur, ab omni concretionem semota, in quâ neque genus, neque species, neque differentia cadere potest. Bonitas, veritas, perfectio, pulchritudo, causa, harmonia, spectantur in Deo: sed hæc verus Theosophus non re ipsa distincta à diuinitate apprehendit, quæ solus Deus comprehendit.

In Cap. 11.

Septem dissimilitudines inter rem corpoream & qualitates satis arguunt primam causam incorpoream & immaterialem. Vbi tamen obseruabis non omnino respuendam doctrinam eorum, qui qualitatem duplicem astruunt. volunt enim eam nominari corpoream & materialem, quæ existat per talem substantiam.

Nullum corpus qua corpus) Actiones & passiones cernuntur inter contraria: corpora non sunt contraria, nisi ratione suarum qualitatum, quæ agendi & patiendi vim habet, tum in elementis, tum in mixtis.

In Cap. 12.

Plato participatione, Pythagoras imitatione, cæset omnia produci: proinde certas quasdam esse ideas, quarum vel participatio, vel imitatio reperitur, tum in uniuerso, tum in primis eius partibus, tum etiam in particulis.

Ex tota igitur materia) Hæc sententia non admodum diuina est, potiusque videtur esse Anaxagoræ & Empedoclis,

quàm Platonis: non enim fortasse sibi delegerat Plato cicu-
tam Socratis, nec certè in omnibus dialogis semper mentem
euoluit. Pulchrior hæc sententia,

Quod natura nequit, nihilo Deus omnia fecit:

Omnia & in nihilum flare repente potest.

Cunctis principium Deus est, cunctis quoque finis:

Eternus solus, solus & ingenitus.

Absque verò ignis & terra) De consensu inter sensus
& elementa vide. Aristot. lib. de sensu & iis quæ sensibus
percipiuntur. quod si velis ignem esse medium videndi, eius
nomine intellige lucem atheream.

In Cap. 13.

Nisi multa explicata essent in nostris scholiis in Timeum
Platonis de iis quinque figuris, libèter admoneremus has &
allegoriam & analogiam continere: siquidem, ut eruditis ra-
tionibus pulchrè Aristoteles primo de celo cõuincit, machi-
na cælesti & elementis quatuor conuenit rotunditas: nam
qua ratione potest duodecaedra figura motum orbicularem
continuum & perennem admittere?

Plana enim solida præcedunt) Vnde Plato 7. de Repub.
& Aristoteles pene ubique Geometriam & Stereometriã
diuersas disciplinas faciunt. Proclus secundo libro in Eucli-
dem: ubi etiam ex Philolao & Platone decimo de Repub.
Iouis imperium duodenario significari contendit.

In Cap. 14.

Omnia plena diis, quæ sententia à Platone in Timeo, ab
Aristotele lib. de celo, à Cicerone 2. de natura deorum, ita
est agitata, ut ex multis nõ possimus colligere an sit, & quid
sit anima mundi. D. August. 17. cap. lib. 13. Hanc animam

Plato ab intimo terra medio, quod geometra centrum vocant, per omnes partes eius usque ad cali summa & extrema diffundi & extendi per numeros opinatur, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cuius anima & perfectam sapientia felicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret: eiusque corpus in aeternum ex illa viueret, neque eam hebetare posset. Caterum animi compositionem ex numeris musicis poteris habere ex Macrobio, Calcidio, Ficino, Iauello, Erasmo, Nicolao Hiesio, si modò te non lateat triplex medium, Arithmeticum, Geometricum & Musicum: eandem non videtur neglexisse Proclus. Sed diligentius expède diatonicum numerorum genus, aut à tanta obscuritate abstine, quæ vix tenebris exui potest. Interim memineris animæ numeros Platonicos triadis cubo cõtineri.

Animam præterea mundi) Hæc sententia homini Christiano potest recipi, si nomine animi diuinam & perpetuam virtutem intelligat, aliàs planè erronea.

Nam cum optimum opus) Has rationes affert Cicero 2. de natura deorum, quibus doctè satisfacit Lactantius. Item Scaliger exercitatione sexta apertè cõuincit ad generationem & motum rerum nihil necessariam esse animam mundi, neque quisquam conturbari debet Platonis ratione decimo de Legibus, Si anima omnia quæ mouentur quo volunt gubernat, & calum ab anima regi fatendum est.

In Cap. 15.

In ea sententia versatur Plato, ut existimet Deum qui semper est, agere in hæc inferiora per iuniores deos, quibus in sua cratera nectar immortalitatis concessit, quemadmodum eorum atque totius vniuersi verus est author. Ceterum

ex multis quæ circumferuntur de demonibus, hæc pauca obseruabis. Primo cap. 9. lib. de ciuitate Dei D. Augustinus, Qui deos quosdam bonos, quosdam malos dixerunt, demones quoque appellauerunt nomine deorum. Apuleius Platonius demones definit animalia animo passiuâ, mente rationalia, corpore aërea, tempore aeterna. Saturnalium lib. 1. cap. 24. te docebit Macrobius cur deorum & demonum nomina Plato coniunxerit: D. Augustini opus de Ciuitate Dei demones à scientia nominari, quibusdam mediis futura cognoscere, non omnes in malitia esse similes, quibusdam in rebus esse hominibus miseros. Huc etiam poteris transferre, quæ subtilis Scaliger exercitatione 355. Cardani, & Luciani ridicula, simul & philosophi seria, commemorat.

In Cap. 16.

Diuina bonitas nõ omnia immediatè procurat. Quæ proximè, & nulla prorsus interiecta causa, à Deo proficiuntur, existimat Plato interitui non subici. Secundas causas deos nominat, quoniam per influentiam diuinam agunt. Iuniores, quoniam propria natura non sunt immortales, sed suã immortalitatem acceperunt ab eo qui semper est.

Cum hæc omnia) A quibus magna ex parte dependet natura humana.

Tria genera) Huic numero addit Aristoteles, genus serpentũ & reptilium: Sed gaudet Plato, id est homo, in theatro vniuersitatis, contemplatione triadis. Id enim verum est munus philosophi, in quo Aristoteles quantum sapiat iudicabis.

Faber mundi) Deus vniuersitatis opifex.

Filiis suis) Voluit quasdam secundas causas, ad productionem rerum materialium.

Nam si) Breuis circumscriptio diuinæ potentia, & rerū quæ ab ea proximè manāt. Plurabac de re in Tim. Platonis.

A prima materia) Hoc non videtur admodum dissimile illi rudi & indigestæ moli, quam mens, ut vult Anaxagoras, in partes certo ordine distinxit: concordia etiam & discordia, ut Empedocli placet.

Particulas) Has Anaxagoras infinitas partes eiusdem rationis, Democritus infinita corpuscula, alij triplicem substantiam constantem ex elementis, quorum postrema dissolutio est in materiam & formam.

Exactis certis temporum curriculis) Agnoscit Plato rei cuiusque suam esse periodum, qua completa materia reddatur partes materiales.

Diis cognatiore) Hominis pars altera diuina. Quod etiam fatetur Aristoteles his verbis: Restat igitur sola mēs, quæ extrinsecus aduenit, eaque est diuina. Vide Macrobiū 1.4. cap. 1. lib. in Somnium Scipionis.

Tum patri Deo) Consensio inter Platonem & Aristotelem in unitate primæ causæ, & multitudine secundarum. Vbi obserua omnem ortum rerum inferiorum fieri causa cælesti concurrente, cui consentanea est hæc sententia, homo & sol hominem gignunt.

Fatales leges) De Fato & libero arbitrio plura inferius. Primo quidē sensum) Voluptas & dolor, metus cupiditas, præcipua capita perturbationum, quarū origo est à sensibus.

Quas quæ superarent) Liberum homini reliquit Deus perturbationes superare, vel illis succumbere, vnius præmiū,

alterius supplicium.

Quæ verò ab iniustitia) Perturbationes tollunt symphoniam inter partes animi, unde sequitur iniustitia.

In vitâ fœminæ) Fœmine⁹ sexus virili logè imperfectior.

In brutorum naturam) Cupiditatibus nonnulli ita seruiunt, vt vitam plus quàm belluinam viuant, non considerantes animo nihil esse præstantius, neque diuinius.

In Cap. 17.

Internorum & externorum membrorum corporis explanationem per septenarium pulcherrimam habes apud Macrobiū cap. 6. 1. lib. in Somnium Scipionis.

Lingua, cor, iecur, pulmo, lien, renes duo.

Guttur, stomachus, aliū, tria præcipua intestina.

Medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis.

Caput, pectus, manus, pedes, pudendum.

In capite sensuum septem fenestra.

In manu humerus, brachium, cubitus, vola, tres digitorum nodi.

Ex terra & igne) Corporis animalis potissimū triplicem compositionem videtur nouisse Aristoteles, vnā ex elementis, eorūmq; primis qualitatibus, alteram partium similarium, tertiam dissimilarium. adeò vt elementa sint gratia partium similarium, quibus fit sensus, hæ autem gratia dissimilarium, quæ actionum varietati seruiunt.

Ceu cultum agrum) Ad formæ susceptionem, in materia requiritur certa præparatio: nō enim omnia ex omnibus sunt, verbi gratia, ex tritico non statim nascitur Oliua.

Quibus elementa genita) Pythagorici cum figuras omnes geometricas, numerosque rebus naturalibus accommo-

dassent, triangulum generationis, rerumq; genitarum principium asseruerunt, symbolice innuentes elementorum qualitates transmutationis, mixtionis & dissolutionis esse principia. Vide Foxiũ in Tim. Platonis, Macrobiũ in Somniũ Scipionis, Alexandrum & Simplicium in Arist. 3. de Cælo, Proclum in elementa Euclidis.

Genitalis feminis) Platoni semen genitale rarum est, & spume simile ex raritate seu medulla ossium propter humoris calorem & spiritum copiosum, quod aliqua ex parte neque Aristoteli, neque Galeno videtur placere.

De principatu animi non omnino Plato, Aristoteles & Galenus consentiunt. Medicorum sententia videtur ad veritatem proximè accedere.

Ratio, iudicium & contemplatio constituunt triangulũ, quo mens tutissima redditur, & omni errore libera.

In Cap. 18.

Non in aspectu solum, sed in functione cuiusque sensus tria requiruntur, Obiectum, medium, & organum, quibus sentiendi facultas indiget.

Verum postea) Aspectus nobilitate rerum, quas propositas habet, nempe luminis & imaginis planè immaterialis datus ad contemplationem rerum caelestium, non malè primum locum obtinet. Vbi obserua consensionem inter Platonem in Timæo, & Aristotelem initio primi Metaph.

Lumen illis igneum) Eustathius apud Macrobiũ: Tria nobis necessaria sunt ad effectum videndi, lumen, quod de nobis emittimus: & ut aër qui interiacet, lucidus sit, & corpus, quo offenso desinat intensio. nisi enim internum lumen externo misceatur tanquam simile simili, nõ fit visio, sed po-

tius phãtasmatum interna speculatio. Sideribus etiã datum est lumen, ut ab homine cognoscerentur, quem voluit Deus facere participem suæ sapientiæ, & similem sibi. Cognoscendi organa vocat Alcinoüs luciferos oculos.

Somnóque mēbra deliniat) Quiescentibus omnibus sensibus, & potissimum aspectu, motus spirituum à cerebro procedentium coërentur, nec ad videndi organum perveniūt, ex quo somnus sequitur, qui Galeno dicitur sensuum feratio: aufert enim, inquit Cicero, sensus, actionemque tollit omnem, simulque quietem corporis & medicinam quandam laboris affert, unde etiam mortis imago nominatur.

Vnde & palpebras) Data sunt palpebræ, ut tenuem oculi substantiam tegant, ut coëuntēs & complicatæ oculum claudant, ne quid fortè maiorum corporũ in ipsum illabatur.

Si plurimum quietis induxerit) In longa & alta quiete, qua recreantur à labore sensus, nullum insomnium fit, quoniam nimius humor impedit. Vnde Galeno somni causa humiditas, vigiliæ verò siccitas & calor.

Frequentia confestim phantasmata) Cùm in somno sopitis sensibus remanet phantasia sui iuris, rerum imagines in memoria insculptas educit, ex quibus fiunt insomnia. Vbi poteris addere ex Cicerone, homines appulsu deorum tribus modis somnare: primo, quia deorum cognatione tenentur: secundo, quia plenus est aër immortalium animorum: tertio, quòd dij cum dormientibus colloquantur.

Siue vera, siue falsæ) Vera contingerent somnia, si ad quietem integri iremus, nunc onusti cibo & vino, perturbata & confusa cernimus, languescente ea animi parte, quæ mentis & rationis est particeps.

Post istas autem) Hæc comparatio eò pertinet, ut ex speculorum cognitione quodammodo intelligamus viam & rationem, qua rerum imagines in animi facultatibus recipiantur & retineantur. Primus Æsculapiorum ex Cic. 3. de natura deorum, censetur inuentor speculi: de quo hæc pauca: nã longè plura ex Ptolomæo, Conuexum speculum parua, cauũ magna reddit, quoniam conuexa superficiæ centrum est intus, caua autem extra. In plano speculo species non refertur æqualis faciei, sed minor, quia hic res habet, ut in motu proiectorum, qui in fine languidior redditur.

In Cap. 19.

Facultates, organa, obiecta, media, & functiones sensuum require ex tabulis, quas de facultatibus animi copiosissimas tradidimus. Non quiuis motus in aëre sonũ efficit: est enim sonus, aër laceratus ex percutiente & percusso. Odoratus per se nihil ad animam, sed datus est ad iuuandum cerebrũ per receptionem odorum. Gustatus, iudex eorum quibus vescimur: non quòd saporibus nutriamur (substantia enim substantiam nutrit) sed adiecti sunt saporis, ut eorum voluptate ad alimentum capiendum alliceremur. Consensio & distinctio sensuum, dati quidem sunt omnes gratia utilitatis, eorumq; idem est communis vsus, nimirum recipere species, quæ sunt materia intellectiõnis ad felicitatem. Cali recepta per aspectum specie, augetur intellectus, fitque homo sui opificis similis: valètque inuentione, quemadmodum auditu acquiruntur disciplina, & libera cum aliis communicatio cõceditur, eoque declaratur verus vsus vocis humana. Odoratu iuuatur cerebrum, eiusque spiritus reficiuntur. Gustatus substantiam in corpus introducit ad nutritionem. Tactus ad

qualitates externas, earumque exuperantias percipiendas.

In Cap. 20.

Qui querit cur graue deorsum feratur, non aliud videtur querere, quam cur graue sit graue: Est enim graue, quod natum est moueri ad medium, tanquam ad propriam perfectionem. Vbi observa Platonem figuras, Aristotelem qualitates elementorum sibi proposuisse. Item Platonem considerasse extrema diametri totius globi, Aristotele verò extremum & medium.

In Cap. 21.

Respirationis tam necessarius est vsus, ut ea priuati vix momento viuere possimus. Ea est voluntarius motus atque animæ actio ad vitam animalis aëre fouendam. Eius partes sunt, inspiratio, expiratio & transpiratio. Vsus triplex, Primus, refrigeratio ardoris cordis per inspirationem aëris externi per os & nares intrantis: secundus, est nutritio vitalis spiritus ab eodem aëre externo: tertius, exhalatio crassorum spirituum per expirationem. Materia, est aër externus. Aspera arteria & pulmones mittentes aërem attractum ad cor & singulas arterias sunt organa.

Modum respirationis talē observabis. Externus aër primum per nares haustus ad cerebrum mittitur & pulmones, ibi purus & tenuis redditur. A pulmone ad sinistrum cordis sinum, à quo in arterias dimittitur. Omne animal calore & humore nutritur: horum alterutro exhausto moritur. Caloris materia est sanguis diffusus per corpus. Caloris & sanguinis duo sunt precipua instrumenta, iecur & cor, ubi calor vitalis spiritusque animalis cōtinetur. Cor propter sanguinem calidissimum & ardentissimum refrigerio indiget: illud fit

beneficio maioris arteriæ quæ ab oris faucibus ad pulmones
pertingit, eaq; externus aër transmittitur: quod obscure satis
in Timæo comparatione cum sagena tradit, sed eam expli-
cat Galenus.

In Cap. 22.

Platoni morborum duo sunt prima genera: unum simpli-
cium, qui simplicibus corporum qualitatibus adveniunt: al-
terum pertinens ad partes similes & cōpositas ex quatuor
humoribus. Indiciū morbi aut valetudinis hoc tibi sit: par-
tes similes numero, figura, situ, ordine & quantitate natu-
rali constare debent. In quibus si nullus contingat error, sani-
tatis: si verò in aliquo eorum peccetur, ægrotationis est indi-
cium. Vide Galenum 2. de methodo medendi, & nostra
scholia in Timæum Platonis. Cic. 4. Tuscul. Morbus ægro-
tatio & vitium distinguuntur, quòd morbus sit totius cor-
poris corruptio: Ægrotatio, morbus cum imbecillitate: Vi-
tium autem, cū partes corporis inter se dissident. Cetera
aut propriis opusculis, aut scholiis in Timæum ac Phedonem
Platonis satis excussimus. Faxit Deus qui semper est, ut
nemo seipso fretus, alieni nominis ruina gradum sibi faciat
ad propriam gloriam.

F I N I S.

AD PARISINI GREGIS

Pastorem vigilantissimum.

Excipias facili vultu, dignissime Præsul,
Magna licet non sint, munera nostra precor:
Forsitan his dare nos etiam potiora iuvabit,
Sit modò grata satis, Pastor, opella tibi.

Ludouicus Nonius, Philippi

REGIS CATHOLICI MEDI-

cus, Matthæo Frigillano artium libera-
lium professori celeberrimo S.

NON potui per occupationes aliquot (Frigillane doctissime) difficili, ac nodosæ ambiguitati, cuius explicationem tuis literis à me requirebas, facere satis. Neq; enim tātū in me agnosco, quantum tu aut amore, quo me prosequeris, aut opinione de eruditione mea (utinam non falso concepta) mihi tribuere videris. Et quanquam certò sciam noctuas (quod in prouerbio est) Athenas, & soli lumen præbere: ne tamen videar tua iussa recusare, & laborē nolle (hominis præsertim de me bene meriti causa) subire, dicam breuiter, quod olim hac de re commentus fuerim. Non enim Aristoteles in eo generationem & corruptionem ab aliis mutationibus differre scribit, ut in neutra velit quidpiam remanere quod sub sensum cadat: sed adiicit ὡς ἐκ γενετῆς, hoc est, tanquam subiecto. Quod Philoponus interpretans, per subiectum substantiam significari docet. Intelligo igitur Aristotelem velle in mutationibus aliis substantiam aliquam perfectam eandem perpetuò manere, tanquam subiectum illud recipiens, quod per mutationem comparatur, aut etiam demittens id quod deperditur. In generatione verò totum ipsum (cūm gignitur) nulla subest aut manet perfecta substantia, tanquam subiectum recipiens genitum: sed sola materia prima formam substantificam recipit: quæ tamen nec propriè

generatur. Quòd si plures formas in eodem composito statuamus, elementa quæ non viribus solùm, sed substantiis in mixtis manere affirmamus (id enim puto longè probabilius) cum mixtum gignitur ex mixto alio, totum id quod gignitur, & cuius proprie est generatio, nihil habet cui subiiciatur, cum per se subsistat forma. Forma verò, cui tamen generatio non tam proprie scribitur, non in ipsis elementis recipitur: sed in prima materia quæ sic est disposita & apparatus, ut huius mixti forma potius, quàm alterius gignatur. Nec durum tibi videatur, quòd formam ipsam dixerim nõ simpliciter generari, sed potius totum ipsum compositum. Ea enim est Aristotelis genuina sententia, manere affectiones aliquas in corrupto quæ fuerant in genito. Perspicuum est, modò non intrinsecæ & propriae fuerint eius quod corrumpebatur. Tu interim vale, & hæc præsentibus minutius discutiemus: multa siquidem implicantur in his quæ fusissima egent & accuratissima disquisitione.

in eodem con
Colom, sed
pura longe
toti in quod
habet cui
to, cui tam
elementis
apparatu
natur. Nec
erum no
um. Eadem
ffiones al
um est, m
corrump
bis dis
sima egre

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

diuin
 CONEM,
 immortal
 specz varijs
 mbaus Fri
 NOBILIS
 T. I. SSI
 C. I. C. C.
 publica con
 Topica



4-10-15